EMENDATIONES LYSIACAE.

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QUAM SCRIPSIT

ET

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

CONSENSU ET AUCTORITATE

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE VIADRINA

AD SUMMOS

IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE IX. M. AUGUSTI A. MDCCCLXXXII HORA XII

IN AULA LEOPOLDINA

PUBLICE DEFENDET

LEO BARTELT

SILESIUS.

ADVERSARII ERUNT:

PAULUS PROHASEL, CAND. PHIL.

HENRICUS SEEMANN, CAND. PHIL.

VRATISLAVIAE.

TYPIS SOCIETATIS TYPOGRAPHORUM VRATISLAVIENSIUM.

PARENTIBUS MEIS.

Herm. Sauppius cum in epistula critica ad God. Hermannum scripta omnes codices Lysiacos ex codice Palatino X descriptos esse, Bekkerumque, qui in Lysia recensendo codicem Laurentianum C ceteris Lysiae libris omnibus praestare arbitratus erat, errasse demonstrans argumentis certissimis persuasisset viris doctis, lectiones codicis illius acriter investigatae sunt a Kaysero, cuius collatione adiutus Scheibius orationes edidit. Lectiones autem a Kaysero prolatas multis locis correxit S. P. Lampros, qui anno 1875 codicem illum diligenter inspexit, vitiaque, in quae Kayserus inciderat, affert in Huebneri ind. phil. vol. X. pag. 257—276.

Neque minus mota sunt studia critica quaestionibus historicis, antiquariis, grammaticis, rhetoricis per doctos interpretes Lysiacos, Rauchensteinium et Frohbergerum et institutis et inauguratis, cum ex iis ad orationes melius intellegendas et emendandas multa redundaverint.

Quae cum ita sint, loci nondum satis explicati ii esse videntur, quibus medicina adhiberi paene nequit. Itaque me haud sine cunctatione eo ductum esse, ut emendationes meas promerem, confiteor.

Orat. III. § 12.

Ὀλίγον δὲ χρόνον διατρίψαντες ἐξερχόμεθα ἤδη μεθύοντες. οὗτοι δ᾽ἐκπηδῶσιν ἐφ᾽ἡμᾶς.

Haec verba codicum magna laborare difficultate multiplices interpretum coniecturae satis indicant. Schottus proposuit οὗτοι δ᾽ἤδη μεθ. ἐκπ. ἐφ᾽ἡμᾶς, Reiskius οὗτοι δ᾽ἐκπ. ἐφ᾽ἡμᾶς ἤδη μεθύοντες, Bakius καὶ δὴ μεθ. οὗτοι ἐκπ. ἐφ᾽ἡμᾶς. Kayserus quoque in ἤδη vitium latere putans legi voluit τότε δὴ μεθ. οὗτοι ἐκπ. ἐφ᾽ἡμᾶς, cum Scheibius maluerit ἐνταῦθα δὴ μεθ. οὗτοι ἐκπ. ἐφ᾽ἡμᾶς.

Quae emendationes quamvis sensui satisfaciant, tamen a verbis traditis nimis abhorrent, quam ut probari possint. Itaque licebit aliam viam loci sanandi monstrari atque equidem Lysiam scripsisse suspicor: ὀλίγον δὲ χρόνον διατρίψαντες ἐξερχόμεθα. ἤδη δὲ μεθύοντες οὗτοι ἐκπηδῶσιν ἐφ᾽ ἡμᾶς.

Facile enim a librario δέ post ἤδη positum neglegi potuisse apparet. Deinde particulam, quae ante ἐκπηδῶσιν in libris exstat, ab alio, qui, cum verba ἤδη μεθύοντες falso cum antecedentibus coniungeret, coniunctionem desideraverat, additam esse opinor, qua ratione corruptelas saepe exortas esse constat. Structura autem ἤδη δέ usitata est, quod elucet his ex locis: eiusd. orat. § 17. or. XVI. § 20. orat. XVII. § 10. Andoc. or. III. § 10.

Orat. IV.

Libri hunc praebent titulum: ΠΕΡΙ ΤΡΑΥΜΑΤΟΣ ΕΚ ΠΡΟΝΟΙΑΣ, ΠΕΡΙ ΟΥ ΚΑΙ ΠΡΟΣ ΟΝ.

Quibus ex verbis sensum idoneum elici posse nullum cum Taylorus vidisset, coniecit addendum esse ΑΔΗΛΟΝ. At etiam hac probata coniectura verba obscura manent et

impedita, cum pro praepositione ΠΕΡΙ posteriore loco desideretur ΥΠΕΡ, quam restitui voluit Dobreus. [1])

Facilius autem me quidem iudice additamento Taylori omisso verba tradita mutantur in:

ΠΕΡΙ ΤΡΑΥΜΑΤΟΣ ΕΚ ΠΡΟΝΟΙΑΣ, ΠΕΡΙ ΟΥ ΚΑΙ ΠΡΟΤΕΡΟΝ, quae ad superiorem orationem eandemque de ΤΡΑΥΜΑ ΕΚ ΠΡΟΝΟΙΑΣ habitam apte congruenterque dicuntur.

Ibid. § 7.

Οὐ γὰρ ἂν (ἄν in codice C additur) οὕτως ἤλθομεν, ἀδήλου ὄντος εἰ παρὰ τούτῳ εὑρήσομεν ὄστρακον ἢ οὕτως αὐτὸν ἀποκτενοῦμεν, ἀλλ᾽ οἴκοθεν ἔχοντες ἂν ἐβαδίζομεν.

Hoc loco aliquid omissum esse iure Scheibius intellexit, cum ὄστρακον obiectum participii ἔχοντες esse non possit propter verba ἢ οὕτως αὐτὸν ἀποκτενοῦμεν. Quamobrem Scheibius aut ἐγχειρίδιον, quae vox in § 6 nobis occurrit, aut σίδηρον aut ὅπλα excidisse existimavit. Facilius vero nec minus apte legeretur: ἀλλ᾽ οἴκοθέν τι ἔχοντες ἂν ἐβαδίζομεν. Conspirant autem verba coniectura mea restituta ad ea, quae in § 6 sunt: φαίνεται τοίνυν οὐδ᾽ αὐτὸς αἰτιώμενος τοιοῦτόν τι ἔχοντας ἡμᾶς ἐλθεῖν . . .

Orat. VII. § 5.

In codice Palatino haec sunt verba: Ἡγοῦμαι τοίνυν, ὦ βουλή, ἐμὸν ἔργον ἀποδεῖξαι ὡς, ἐπειδὴ τὸ χωρίον ἐκτησάμην, οὔτ᾽ ἐλαία οὔτε σηκὸς ἐνῆν ἐν αὐτῷ· νομίζω γὰρ τοῦ μὲν προτέρου χρόνου, οὐδ᾽ εἰ πάλαι ἐνῆσαν μορίαι, οὐκ ἂν δικαίως ζημιοῦσθαι.

Scheibius unum secutus codicem O pro μορίαι scripsit μωρίαι. Equidem auctoritatem codicis Palatini ceterorumque librorum manuscriptorum neglegi noluerim, quare μορίαι retinendum esse censeo. Sed cum iam initio enuntiationis verbis τοῦ μὲν προτέρου χρόνου tempus apte indicatum sit et verba οὐδ᾽ εἰ πάλαι ἐνῆσαν μορίαι neque novum neque grave,

[1]) cf. Adversaria critica I. p. 194.

quod desideratur, afferant momentum, πάλαι corruptam esse lectionem contendo neque video, quo alio modo Lysiae scripturam restituamus nisi legentes: νομίζω γὰρ τοῦ μὲν προτέρου χρόνου, οὐδ' εἰ πολλαὶ ἐνῆσαν μορίαι, οὐκ ἂν δικαίως ζημιοῦσθαι. Nunc enim singula verba optime inter se respondent. Accedit quod eodem modo in § 24 dicitur: ἐπίστασθε γὰρ ἐν τῷ πεδίῳ πολλὰς μορίας οὔσας . . .

Ibid. § 14.

Is, cui Lysias hanc scripsit orationem, hoc loco demonstrat, improbabile esse, se commisisse facinus, quod neque profuisset sibi neque impune confici potuisset. Exhibent autem libri manuscripti haec: Οὗτος μέντοι οὐκ ἂν ἔχοι ἀποδεῖξαι, οὔθ' ὡς ὑπὸ πενίας ἠναγκάσθην τοιούτοις ἔργοις ἐπιχειρεῖν, οὔθ' ὡς τὸ χωρίον μοι διαφθείρεται τοῦ σηκοῦ ὄντος, οὔθ' ὡς ἀμπέλοις ἐμποδὼν ἦν, οὔθ' ὡς οἰκίας ἐγγύς, οὔθ' ὡς ἐγὼ ἄπειρος τῶν παρ' ὑμῖν κινδύνων, εἴ τι τούτων ἔπραττον. πολλὰς ἂν καὶ μεγάλας ἐμαυτῷ ζημίας γενομένας ἀποφήναιμι.

Rauchensteinius Hertleinii coniecturam εἴ τι τοιοῦτον ἔπραττον iure comprobasse mihi videtur, cum haec usitata sit dicendi ratio.

Deinde hoc loco aliquid deesse, quod verba πολλὰς ἂν et quae sequuntur cum antecedentibus coniungat, perspicuum est, quare varie viri docti hunc locum temptarunt, ut corruptelae medicinam adhiberent.

Coniecturas autem, quae mihi occurrerunt, omnes fere iam ob eam rem non esse probandas puto, quod codicum lectionem nimis contemnunt. Scribit enim Hamakerus[1]) haec:

ἐγὼ δὲ τοὐναντίον πολλὰς ἂν καὶ μεγάλας ἐμαυτῷ ζημίας γενομένας ἀποφήναιμ' ἄν.

Verba autem ἐγὼ δὲ τοὐναντίον propter similitudinem, quam inter exitum verborum τοὐναντίον et ἔπραττον exstare

[1]) cf. Quaestiones de nonnullis Lysiae orationibus. Lugduni-Batavorum 1843. pag. 13.

putat Batavus, a librariis neglecta esse censet. Qua ratione vix cuiquam persuasit. Kayserus autem legi vult: ἐγὼ δὲ πολλὰς ἄν, . . ., quam emendationem Rauchensteinius amplexus est. Facilior Emperii est coniectura: πολλὰς δ'ἄν. . . At in utraque loci sanandi ratione particula δέ mihi displicet, cum sensum adversativum non aptum existimem. Probare enim mihi videtur reus illud: οὔθ' ὡς ἐγὼ ἄπειρος τῶν παρ' ὑμῖν κινδύνων, εἴ τι τοιοῦτον ἔπραττον. Magis igitur me quidem iudice ad sensum quadraret particula γάρ, quam iam Reiskius[1]) excidisse suspicatus est. Sed ne huius quidem emendationis natura ex librorum condicione cognoscitur. Scheibius[2]) igitur ante πολλάς inserendum esse ὢν coniecit. Quam coniecturam Kayserus recte his verbis refutasse mihi videtur: Die von Scheibe proponirte Ergänzung ὢν vor πολλὰς ἄν ist zwar die leichteste aber nicht die richtigste, da der Gegensatz von Kläger und Angeklagten hier ausdrücklich hervorgehoben werden muss. Quod cum Scheibius[3]) sibi persuasisset, etiam pronomen αὐτός adici pone πολλὰς ἄν voluit, ut hic exsisteret sensus: »ille non facile possit demonstrare me eorum periculorum fuisse ignarum, quae a vobis mihi imminerent, si tale facinus ausus essem, ex quo ipse demonstrare possem multa et magna in me redundatura detrimenta«.

Sed iam minus facilis facta est emendatio Scheibiana. Restat, ut Frohbergeri proferam coniecturam: . . . οὔθ' ὡς ἐγὼ ἄπειρος τῶν παρ' ὑμῖν κινδύνων· εἶτ' εἴ τι τοιοῦτον ἔπραττον, πολλὰς ἂν καὶ μεγάλας ἐμαυτῷ ζημίας γενομένας ἀποφήναιμι, cuius sensus minus probabilis mihi videtur, cum nihil antecedat, quo particula εἶτα fulciatur. Deinde satis accurate explicata arbitror, quae Kayserus de oppositione inter reum et accusatorem ab oratore instituta disseruit. Quae cum ita sint, scribi volo: . . . οὔθ' ὡς ἐγὼ ἄπειρος τῶν παρ' ὑμῖν κιν-

---

1) cf. Orat. Graec. vol. V. p. 273.

2) Vindiciae Lysiacae p. 20.

3) Lectiones Lysiacae.

δύνων, εἴ τι τοιοῦτον ἔπραττον· ὃς πολλὰς ἂν καὶ μεγάλας ἐμαυτῷ ζημίας γενομένας ἀποφήναιμι· Simili ratione ea, quae sequuntur, dicuntur: ὃς πρῶτον μὲν μεθ' ἡμέραν ἐξέκοπτον τὸν σηκόν, ὥσπερ οὐ πάντας λαθεῖν δέον, ἀλλὰ πάντας Ἀθηναίους εἰδέναι. Conferri potest or. XII. § 65.

Ibid. § 25.

Αὐτοὺς τοίνυν ὑμᾶς τούτων μάρτυρας παρέξομαι, ἐπιμελουμένους μὲν ἑκάστου μηνός, γνώμονας δὲ πέμποντας καθ' ἕκαστον ἐνιαυτόν· ὧν οὐδεὶς πώποτ' ἐζημίωσεν ὡς ἐργαζόμενον (codex Palatinus habet ἐργαζομένους) τὰ περὶ τὰς μορίας χωρία. Hoc loco Meutznerus pronomen με post ἐζημίωσεν inserendum esse censuit.

Quae verba cum etiam in § 29 pronomine omisso tradantur, idem vir doctus illic quoque ζημιῶσαί με scribi voluit. Quam coniecturam Rauchensteinius probavit et in textum ipsum recepit. At iam Mart. Schantzius[1]) usum esse Graecum, quo pronomina rarius, quam in nostra lingua fit, inserantur, demonstravit. Attamen Rauchensteinio duritiem loco nostro intolerabilem reperienti non persuasit. Nullum vero id quidem argumentum est. Eadem enim durities cum aliis quoque locis huius ipsius orationis inveniatur, non est removenda. Traditur enim in § 39: . . . οὐχ ὡς ἀδικοῦντα ἐλπίζων ἀποδείξειν; et in § 43: ἐξὸν αὐτοῖς τοῖς ἔργοις ἀδικοῦντα ἀποδεῖξαι. Quare neque locos a Meutznero temptatos mutari licet.

Ibid. § 29.

. . . ὃς οὔτε γεωργῶν με ἐγγὺς τυγχάνει . . . Recentiores editores omnes pronomen με, quod in codicibus est, cum nullam admittat interpretationem, neglexerunt. At mihi sub hoc pronomine latere videtur genetivus ἐμοῦ. Postponitur autem ἐγγύς genetivo etiam in § 14: οὐθ' ὡς οἰκίας ἐγγύς.

---

[1]) Specimen critic. p. 20.

Cum tota vero structura sententiae conferri potest or. XIX. § 65, ubi exstant: . . . ἐγγύς τε οἰκῶν τῆς ἀγορᾶς . . .

Ibid. § 34.

Μάρτυρας γὰρ ἔχων αὐτῷ προσῆλθον, λέγων, ὅτι μοι πάντες εἰσὶν οἱ θεράποντες, οὓς ἐκεκτήμην, ἐπειδὴ παρέλαβον τὸ χωρίον, καὶ ἕτοιμος ἤμην, εἴ τινα βούλοιτο, παραδοῦναι βασανίζειν, ἡγούμενος οὕτως ἂν τὸν ἔλεγχον ἰσχυρότερον γενέσθαι τῶν τούτου λόγων καὶ τῶν ἔργων τῶν ἐμῶν.

Offenderunt viri docti in verbis: καὶ ἕτοιμος ἤμην, cum aut formam ἤμην inusitatam iudicarent aut aliam desiderarent structuram.

At non habemus, quod in forma ἤμην offendamus, cum non solum hoc loco, sed etiam alibi consentientibus libris legatur, quod Lobeckius[1]) optime demonstrat.

Quae cum ita sint, neque Westermannum[2]), qui καὶ ἕτοιμος ἦν μήν scripsit, sequi volo, neque Hertleinium, qui καὶ ἕτοιμος ἦν proposuit. Jam inspiciamus coniecturas virorum doctorum in ipso imperfecto offendentium.

Dobreus enim ἤμην mutavit in εἴην, idque Turicenses receperunt. Jam Westermannus recte iudicavit: »docendum erat non hoc, λέγων ὅτι ἕτοιμος εἴην per se recte dici posse, id quod nemo dubitat, verum quo iure post indicativum optativus inferatur.«

Scheibio[3]) vero ἤμην »non corruptum videtur, sed male invectum a librario, in cuius auribus resonaret verbi proxime praecedentis ἐκεκτήμην exitus.«

Contra recte Westermannus: »At accuratius inspecto loco sex vocabulorum intervallo duo ista a se distare reperies.« In ipsum textum Scheibius aliam recepit coniecturam, quam eodem loco prolatam priori illi rationi postposuerat. Scribit

---

1) Phrynich. p. 152.

2) Comment. crit. in script. Graec. IV. p. 6.

3) Vindic. Lys. p. 27 et 28.

enim: καὶ ἕτοιμός εἰμι, in quam emendationem etiam Kayserus incidit. At me quidem iudice haud recta est. Nam iam ante rem agendam testes isti actori a reo praebiti sunt, quod cum ex ipsa rerum natura, tum ex verbis insequentibus perspicitur. Dicit enim orator in § 35: οὗτος δ'οὐκ ἤθελεν, neque ἐθέλει, deinde in § 36 haec nobis occurrunt: ἐπειδὴ τοίνυν ἐμοῦ παραδιδόντος οὗτος παραλαβεῖν οὐκ ἤθελε. Mea igitur sententia orator quae antea dixerat: μάρτυρας γὰρ ἔχων αὐτῷ προσῆλθον iam accuratius exponit. Quare mihi persuasum est, hoc loco praeteriti formam postulari. Atque cum ἤμην, quod libri praebent, imperfecti formam esse constet, lectionem codicum retineamus oportet.

Ibid. § 37.

Περὶ ἐμοῦ μὲν γὰρ εἰ ἔλεγον, οὐδ' ἂν ἀπολογήσασθαί μοι ἐξεγένετο· τούτῳ δ'εἰ μὴ ὡμολόγουν, ἃ οὗτος ἐβούλετο, οὐδεμιᾷ ζημίᾳ ἔνοχος ἦν.

Reus, cum ipse servos suos torquendos actori obtulisset, hoc loco ostendit, in hac re sibi fuisse periculum, Nicomacho securitatem, cum si culpae se arguissent servi, nullum defensionis locum habuisset. Omnes recentiores editores additamentum aliquod desiderantes in voce ἔλεγον offenderunt, cum vix cuiquam Reiskius persuaserit, mente ad ἔλεγον addi posse κακόν vel δυσχερές disserens. Itaque Meutznerus et Frohbergerus scribi voluerunt εἴ τι ἔλεγον, qua ratione locus non sanatur, cum servorum testimonio reus etiam potuisset purgari, quod in hac re futurum fuisse elucet. Neque verba εἰ ἔλεγον ταῦτα a Kaysero proposita rem explanant. Quod Scheibius coniecit et in textum recepit ἤλεγχον ipse[1]) reiecit.

Bekkerus autem, quem Rauchensteinius secutus est, verba ἃ οὗτος ἐβούλετο, quae ante οὐδεμιᾷ ζημίᾳ ἔνοχος ἦν leguntur, transponi voluit post ἔλεγον. At cum verba ἃ οὗτος ἐβούλετο eo, quo nunc leguntur, loco optime intelle-

[1]) Lectiones Lys. in Ann. philol. suppl. n. ser. I. p. 310.

gantur, transponi vix possunt. Accedit quod etiam transpositione accepta aequabilitas enuntiationum membrorum non restituitur, cum prior enuntiatio condicionalis additamentum haberet, posterior non haberet.

Quae cum ita sint, in lectione tradita lacuna statuenda mihi videtur, ita ut in priore enuntiatione condicionali post ἔλεγον nonnulla omissa esse putemus. Atque concinnitas totam mihi videtur poscere sententiam, quae illi ἃ οὗτος ἐβούλετο respondeat. Quare Lysiam tale quid scripsisse puto: περὶ ἐμοῦ μὲν γὰρ εἰ ἔλεγον, ὡς ἐξέκοπτον τὸν σηκόν, οὐδ' ἂν ἀπολογήσασθαί μοι ἐξεγένετο· τούτῳ δ' εἰ μὴ ὡμολόγουν ἃ οὗτος ἐβούλετο, οὐδεμιᾷ ζημίᾳ ἔνοχος ἦν. Sic enim sententiae inter se concinunt.

Atque verba ἐξέκοπτον τὸν σηκόν sumpsi ex § 15. De lacunis autem, quae in Lysiae libris inveniuntur, recte iudicasse mihi videtur Westermannus[1]) his verbis: »Quae lacunosa librorum nostrorum condicio sic fortasse explicanda est, ut libri eius, ex quo fluxit Palatinus vel archetypi illius margines arrosas partim et attritas fuisse, librarium autem tantum, quae legi adhuc poterant uno tenore inque extremis versibus lacunis non indicatis descripsisse credas«.

Ibid. § 39.

Ἐγὼ μὲν ὑμᾶς ἡγοῦμαι ὅτι Νικόμαχος ὑπὸ τῶν ἐχθρῶν πεισθεὶς τῶν ἐμῶν τοῦτον τὸν ἀγῶνα ἀγωνίζεται.

Omnes viri docti verbum, unde ὅτι et quae sequuntur, suspensa sint, deesse intellexerunt. Quamvis re inter se concinant, de loci emendatione valde discrepant. Jam librarius codicis C locum sanare studens scripsit: ἐγὼ μὲν ὑμᾶς ἡγοῦμαι νομίζειν, ὅτι, quod nullo pacto probari potest. Kayserus autem aut ὑποπτεύειν aut ᾐσθῆσθαι, aut οἴεσθαι addi voluit, cum Hamakerus ἐγνωκέναι ante ὑμᾶς a librariis omissum esse

---

[1]) Commentat. in scr. Graec. V. p. 11.

ratus sit. Quam coniecturam Scheibius[2]) non solum comprobavit, sed etiam imitatus est in or. XXIV. § 10, quem locum infra tractabimus. Meutznerus omissis verbis ἐγὼ μέν scribi vult ἐγνωκέναι. Sed pronomen suo iure positum mihi videtur. Itaque, quamvis facilem esse coniecturam concedam, lacuna exstare Lysiasque haec mihi videtur scripsisse: ἐγὼ μὲν εἰδέναι ὑμᾶς ἡγοῦμαι , . ., cum haec dicendi ratio Lysiae usitatissima sit.

Eodem enim modo εἰδέναι cum ipso verbo ἡγεῖσθαι coniunctum est X. 15., XXI. 18., XXIX 2. Etiam cum verbo οἴεσθαι coniunctum εἰδέναι legitur: I. 28., X. 7., XIX. 4., 5., 52., XXI. 7.

Orat. VIII. § 16.

Τοιαύτας προφάσεις προφασιζόμενοι τότε μὲν ἐκ τῆς ἐμῆς καὶ Θρασυμάχου συνουσίας ἐστὲ φανεροί. νῦν δὲ ἐπειδὴ ἐκλελοίπασιν ὑμᾶς αἱ προφάσεις, ἐλευθερώτερόν με κακώσας λέπτιδι οὐδέν.

Sententia haec fere est: Antea quidem, Thrasymachum per me pellectum vobis contumelias inferre dixistis, ut iniuriae mihi illatae iustae viderentur. At nunc iam sine causa me offenditis.

Veterem corruptelam, quae in verbis κακώσας λέπτιδι οὐδέν exstat, iam codicis C librarius, qui ingenio, quo valebat, et linguae Graecae peritia adiutus permultos locos corruptos sanare studuit, removere cupivit scribens: κακῶσαι λείπετε οὐδέν. Atque Scheibius eum secutus est, nisi quod post λείπετε ex vestigiis codicis Palatini ἤδη recipiendum ei videbatur. Ac primum quidem persuasum habeo, exitum enuntiationis haud aliter legendum esse nisi δι᾽ οὐδέν, ut oppositio afferatur ad verba: προφάσεις προφασιζόμενοι. Itaque syllabam δι ab auctore codicis Laurentiani plane neglectam atque iniuria a Scheibio in ἤδη mutatam retineo. De ceteris autem verbis codicis X dubitari licet. Mea quidem sententia scribendum

---

[2]) Vindic. Lys. p. XIV.

est: κακῶς ἀεὶ λέγετε δι' οὐδέν, simili ratione, qua in § 14 legitur: γινώσκω δὲ νῦν ἤδη καὶ πάλαι ζητοῦντας πρόφασιν, ἡνίκα Θρασύμαχον ὑμᾶς ἐφάσκετε κακῶς λέγειν δι' ἐμέ. Conferri etiam potest § 19: ἀλλὰ καὶ νῦν ὑμεῖς με μόνον κακῶς λέγετε. Commendatur autem coniectura mea similitudine litterarum, cum facile possent verba:

ΚΑΚΩΣ ΑΕΙ ΛΕΓΕΤΕ ΔΙ ΟΥΔΕΝ

depravari in:

ΚΑΚΩΣ ΑΣ ΛΕΠ ΤΙ ΔΙ ΟΥΔΕΝ.

Particula ἀεί autem eodem modo duobus verbis sensu cohaerentibus inseritur in or. XXV. § 25: εὖ γὰρ εἴσεσθε ὅτι, ἃ μὲν οὗτοι συμβουλεύουσιν, οὐδεπώποτε ὑμῖν ἐλυσιτέλησεν, ἃ δ' ἐγὼ παραινῶ, ἀμφοτέροις ἀεὶ ταῖς πολιτείαις συμφέρει. Atque omnino non desunt ὑπερβατά in Lysiae orationibus. Quae res ut exemplis comprobetur, afferam haec: Or. XVIII. § 25: ὧν ἄξιον ὑμᾶς ἐνθυμηθέντας προθύμως ἡμῖν βοηθῆσαι, Imprimis ἄξιον et verba eiusdem sententiae ceteris verbis inseruntur atque genetivo alicui postponi solere videntur. Neque aptius potest inveniri exemplum, quam quod in or. XIV. § 32 est: καὶ μὲν δή, ὦ ἄνδρες δικασταί, ἄλλων τε πολλῶν ἄξιον εἵνεκα αὐτοῦ καταψηφίσασθαι, καί . . .

Atque etiam in or. XX. § 30 ἕνεκα a casu suo disiungitur, ubi eadem fere est sententia: ὧν μὲν ὁ πατὴρ διαβέβληται εἰς ὑμᾶς, δικαίως τούτων δεῖ ἡμᾶς ἕνεκα ἀπολέσθαι, . . . Cf. XIV. § 15.

Orat. IX. § 7.

Οἱ δὲ ταμίαι οὐδὲν ὅμοιον τοῖσδε διανοηθέντες, ἀνακαλεσάμενοι δὲ (inclusit hanc particulam Scheibius Reiskium et Emperium secutus, recte ut videtur.) τοὺς παρόντας καὶ τὴν γραφὴν ἐσκοποῦντο τῆς αἰτίας τὴν πρόφασιν.

Schillerus cum Franzio nihil mutari vult, cum verba e zeugmatis figura bene explicari posse ei videantur. At haud recte verba καὶ τὴν γραφήν coniunguntur çum ἀνακαλεσάμενοι,

quia ipsa *γραφή* quaestores in rem inquirere coëgerat. Quam ob rem equidem locum sanum non puto, neque cum ceteris loci emendatoribus facio, qui audacter eum temptaverunt. Scribunt enim Reiskius et Emperius τοὺς παραδόντας τὴν γραφήν. Qua in coniectura maxime id offendit, quod ad unam eandemque corruptelam tollendam duplex instituitur emendatio, cum et παρόντας in παραδόντας mutetur et particula καί omittatur. Quae cum ita sint, facilius mutari locum volo scribens: ἀνακαλεσάμενοι τοὺς παρόντας κατὰ τὴν γραφὴν ἐσκοποῦντο τῆς αἰτίας τὴν πρόφασιν.

Quaestores autem in ipsam rem inquisisse apparet ex sequentibus: ἀκούσαντες δὲ τὸ γεγενημένον ἐννοοῦντες οἷα πεπονθὼς ἦν, τὸ μὲν πρῶτον ἔπειθον αὐτοὺς ἀφεῖναι, διδάσκοντες ὡς οὐκ ἐπιεικὲς εἴη τῶν πολιτῶν τινας διὰ τὰς ἔχθρας ἀναγράφεσθαι. ἀποροῦντες δὲ μεταπεῖσαι αὐτούς, τὸν παρ᾽ ὑμῶν κίνδυνον ὑποστάντες ἄκυρον τὴν ζημίαν ἔκριναν. Hic quoque locus coniectura temptatus est. Bakius[1]) enim in verbis διὰ τὰς ἔχθρας offendens scribi vult δι᾽ ἰδίας ἔχθρας. Secutus eum est Scheibius, qui coniecturam illam in textum recepit. At temere. Eadem enim verba τὰς ἔχθρας etiam in § 22 traduntur, ubi Scheibius quidem eandem Bakii emendationem recepit. At me quidem iudice sententia a Bakio desiderata ipsis verbis traditis inest. Nam in § 13 orator dicit haec: δεῖ δ᾽ὑμᾶς μὴ μόνον τοῦ ἐγκλήματος τὴν αἰτίαν ἀλλὰ καὶ τῆς ἔχθρας τὴν πρόφασιν εἰδέναι. Neque dubium est, quin ἡ ἔχθρα hoc loco significet inimicitias, in quas ipse orator incidit, ita ut vertendum sit: ihr müsst aber auch den Grund unserer Feindschaft kennen lernen. Quare verba διὰ τὰς ἔχθρας utroque loco retinenda mihi videntur, cum significent: wegen ihrer (i. e. der persönlichen) Feindschaften.

Orat. XII. § 6.

Θέογνις γὰρ καὶ Πείσων ἔλεγον ἐν τοῖς τριάκοντα περὶ τῶν μετοίκων, ὡς εἶέν τινες τῇ πολιτείᾳ ἀχθόμενοι· καλλίστην οὖν

[1]) cf. Schol. hypomn. p. 247.

εἶναι πρόφασιν τιμωρεῖσθαι μὲν δοκεῖν, τῷ δ' ἔργῳ χρηματίζεσθαι· πάντως δὲ τὴν μὲν πόλιν γενέσθαι, τὴν ἀρχὴν δεῖσθαι χρημάτων.

Marklandus et Emperius locum corruptum ita correxerunt: πάντως δὲ τὴν μὲν πόλιν πένεσθαι, τὴν δ' ἀρχὴν δεῖσθαι χρημάτων, Atque particulam δέ inserendam esse, omnes viri docti consentiunt. De loco, ubi inseratur, non eadem est consensio. Nam Scheibius Marklandum et Emperium secutus τὴν δ' ἀρχὴν δεῖσθαι χρημάτων scribit, Rauchensteinius autem et Frohbergerus a Sauppii partibus δέ ante δεῖσθαι inserentis stant. At quamvis positionem: τὴν μὲν πόλιν . . ., τὴν ἀρχὴν δὲ . . . apud scriptores Graecos ipsumque Lysiam inveniri haud negaverim, tamen si coniectura particulam inserimus, vulgarem usum sequi malo, praesertim cum eadem facilitate fieri possit. Quare cum Scheibio scribi volo: τὴν δ' ἀρχήν... Altera autem coniectura, quam Marklandus et Emperius hoc loco protulerunt, cum γενέσθαι mutarent in πένεσθαι, omnibus fere viris doctis probata est. Meinekius[1]) autem haec scripta fuisse suspicatus est: πάντως δὲ δεῖν τὴν μὲν πόλιν γενέσθαι μικράν. At iam a Rauchensteinio et Gebauero expositum est, hanc coniecturam sententiae obstare, cum haec, quae verbis istis insunt, triginta viri appeterent (cf. § 70), sed ea re, quae nostro loco narratur, neque possent neque vellent perficere. Nam pecuniam modo ab inquilinis expressuri erant, cum ipsa civitas iam inopia urgeretur, de qua re Lysias ipse permultis locis verba facit. (cf. XIX. 11., XXX. 22., XXI. 13.)

Quae cum ita sint, Lysias scripsisse mihi videtur, Athenienses in penuriam iam venisse. Quae sententia verbo tradito γενέσθαι fulcitur. Itaque hoc retinendum esse atque post γενέσθαι adiectivum ἀσθενῆ excidisse censeo. Atque persaepe apud Lysiam γίγνεσθαι invenimus coniunctum cum adiectivis, etiam ubi oratori verba praesto erant. Conferas or. XIII. § 32: ἀλλ' οὐκ οἶμαί σε ἔξαρνον ἂν γενέσθαι ἃ ἐναντίον Ἀθηναίων ἁπάντων ἐποίησας, Similem usum viri docti

[1]) cf. Annal. phil. vol. 87 p. 369.

invenerunt aqud Thucydidem, qui persaepe nomina substantiva cum γίγνεσθαι coniungit, ubi verbis uti poterat, cf. Thuc. III. 23. 3 et quod annotant interpretes.

Orat. XII. § 63.

Καίτοι σφόδρ᾽ ἂν αὐτὸν οἶμαι μετὰ Θεμιστοκλέους πολιτευόμενον προσποιεῖσθαι πράττειν ὅπως οἰκοδομηθήσεται τὰ τείχη, ὁπότε καὶ μετὰ Θηραμένους ὅπως καθαιρεθήσεται. οὐ γάρ μοι δοκοῦσιν ἴσου ἄξιοι γεγενῆσθαι· ὁ μὲν γὰρ Λακεδαιμονίων ἀκόντων ᾠκοδόμησεν αὐτά, οὗτος δὲ τοὺς πολίτας ἐξαπατήσας καθεῖλε.

Jure mea quidem sententia Kayserus[1]) in lectione: οὐ γάρ μοι δοκοῦσιν ἴσου ἄξιοι γεγενῆσθαι offendit, cum negatione retenta particula γὰρ iustam non admittat interpretationem. Deinde Kayserus recte intellexit, ironiam tum demum elucere, si Theramenem et Themistoclem paris participes esse condicionis narretur. Hoc enim ipse Theramenes apud Plutarchum (Lys. 14) agit, ubi ἐπὶ σωτηρίᾳ τῶν πολιτῶν muros sese diruisse simulat, quos eadem de causa Themistocles construxerat. Pergit autem Kayserus: »Lysias kommentirt die Aehnlichkeit nur in verschiedener Beziehung, wenn er beide als Betrüger hinstellt, mit dem unbedeutenden Unterschiede, dass der eine die Lazedämonier, der andere die eigenen Landsleute täuschte.«

Si enim Lysias hos viros permultum inter se distare dicere voluisset, simpliciter narrasset: ὁ μὲν γὰρ ᾠκοδόμησεν αὐτά, οὗτος δὲ καθεῖλε. Quae addidit: Λακεδαιμονίων ἀκόντων atque τοὺς πολίτας ἐξαπατήσας demonstrant, Lysiam, qua in re isti viri similes fuerint, quamvis ironice, enarrare. Kayserus igitur, probantibus Scheibio et Sauppio scribendum esse censet: καὶ γάρ μοι δοκοῦσιν ἴσου ἄξιοι γεγενῆσθαι. At facilius atque fortius idem, quod ille vir doctus voluit, effici potest, si scribimus: οὗτοι γάρ μοι δοκοῦσιν ἴσου ἄξιοι γεγενῆσθαι.

---

[1]) Ann. Heidelb. 1854 p. 224.

Orat. XIII. § 19.

Ἐβούλοντο οὖν ἄκοντα δοκεῖν αὐτὸν καὶ μὴ ἑκόντα μηνύειν, ὅπως πιστότερα ὑμῖν ὑποφαίνοιτο.

Ut ex verbis insequentibus ὡς δὲ ἑκὼν ἐμήνυσε καὶ ὑμᾶς οἶμαι ἐκ τῶν πεπραγμένων αἰσθήσεσθαι apparet, participia ἄκοντα et ἑκόντα masculini sunt generis. Quare Franckenium in voce πιστότερα iure offendisse confiteor, quamvis eius emendationi propter nimiam codicum contemptionem non assentiar. Corruptelam enim in verbis ὑμῖν ὑποφαίνοιτο inesse opinatus pro his scripsit: ὅπως πιστοτέρα ἡ μήνυσις φαίνοιτο, quam emendationem Rauchensteinius in textum recepit. At quamquam etiam faciliores prolatae sunt coniecturae a Kaysero ὅπως πιστότερα οὕτω φαίνοιτο, a Sauppio ὅπως πιστότερα ὑμῖν εἰπεῖν φαίνοιτο, tamen ὑποφαίνοιτο retinendum esse censeo, ut paulo post demonstrabo, atque una vox πιστότερα mihi corrupta videtur. Scribi autem volo: ὅπως πιστότερος ὑμῖν ὑποφαίνοιτο, corruptelam ex antecedentibus ἄκοντα et ἑκόντα exortam esse existimans. Sensus igitur loci hic est: Voluerunt eum invitum rem indicare videri, ut paulatim maiorem apud vos fidem nancisceretur. Cum re vera haec ratio apta videatur ad animos iudicum sensim decipiendos verbum ὑποφαίνοιτο me quidem iudice suo loco positum est.

Orat. XIII. § 20.

Τοῦ δ' ἕνεκα ταῦτα λέγω ὑμῖν; ἵν' εἰδῆτε ὅτι τὰ ψηφίσματα ἐξ ἐκείνης τῆς βουλῆς οὐκ ἔτι εὐνοίᾳ τῇ ὑμετέρᾳ ἀλλ' ἐπὶ καταλύσει τοῦ δήμου τοῦ ὑμετέρου ἅπαντα ἐλέγετο, καὶ ὡς τοιούτοις οὐκ οὖσιν αὐτοῖς τὸν νοῦν προσέχητε.

Bekkerus iam post ψηφίσματα recte articulum τά inseruit. Neque minus probata est emendatio, si omnino licet ita dici, Foertschii pro οὐκ ἔτι[1]) scribentis οὐκ ἐπ'. Negationem, quam codex Palatinus ante οὖσιν habet, editores omiserunt. At quomodo in textum venerit, vix potest de-

[1]) Sic enim legit Lampros. cf. l. l. p. 265.

monstrari, quare ex οὖν corruptam idque recipiendum esse censeo.

Orat. XIV. § 7.

Ἀστρατείας μὲν γὰρ δικαίως ἂν αὐτὸν ἁλῶναι, ὃ καταλέγεις ὁ πατὴρ οὐκ ἐπεξῆλθε μεθ' ὑμῶν στρατοπέδῳ μόνος οὐ παρέσχε μετὰ τῶν ἄλλων ἑαυτὸν τάξαι, δειλίας δέ, ὅτι δεῖ ἕκαστον μετὰ τῶν πολιτῶν κινδυνεύειν ἱππεύειν εἵλετο.

Menda, quae in verbis ὃ καταλέγεις ὁ πατὴρ οὐκ ἐπεξῆλθε huius scripturae codicis Palatini insunt, ut removeret, auctor codicis C haec scripsit: ὅτι οὐ κατελέγη, λειποταξίου δέ, ὅτι οὐκ ἐπεξῆλθε. Jam Stephanus iure in hac emendatione offendit atque legendum esse coniecit: ὅτι καταλεγεὶς ὁπλίτης οὐκ ἐπεξῆλθε. Quam emendationem ab Emperio, qui ὅτι καταλεγεὶς οὐ παρῆν, λειποταξίου δὲ, ὅτι οὐκ ἐπεξῆλθε proposuerat atque a Kaysero hac in parte enuntiationis illum secuto, neglectam Bergkius et Scheibius comprobaverunt. Ego quoque rectam eam puto, cum in or. IX. § 4 similia nobis occurrant: Ἀφικόμενος προπέρυσιν εἰς τὴν πόλιν, οὔπω δύο μῆνας ἐπιδεδημηκὼς κατελέγην στρατιώτης. Pro ἐπεξῆλθε Reiskius scripsit ἐξῆλθε, quam emendationem Kayserus Scheibiusque probaverunt. Deinde Taylorus verba στρατοπέδῳ μόνος mea quidem sententia recte mutavit in στρατοπεδευόμενος. Tum pro δεῖ ἕκαστον Schottus et Emperius δεῖν αὐτόν scripserunt, et pro πολιτῶν Stephanus ὁπλιτῶν scripsit. Scheibius autem utramque coniecturam recepit. Equidem § 9: ἀλλ' ἐβουλήθη καὶ ἄτιμος εἶναι καὶ τά χρήματ' αὐτοῦ δημευθῆναι καὶ πάσαις ταῖς κειμέναις ζημίαις ἔνοχος γενέσθαι μᾶλλον ἢ μετὰ τῶν πολιτῶν εἶναι καὶ ὁπλίτης γενέσθαι cum nostro loco conferens verba ἕκαστον atque πολιτῶν retinenda esse existimo. Pro οὐ παρέσχε, quae verba ferri non possunt, Kayserus scribi vult οὐδὲ παρέσχε. Equidem, ut omnia recte procedant, pro οὐκ ἐξῆλθε propono οὔτ' ἐξῆλθε, pro οὐ παρέσχε: οὔτε παρέσχε. Totum igitur locum sic restituendum esse iudico: ἀστρατείας μὲν γὰρ δικαίως ἂν αὐτὸν ἁλῶναι, ὅτι καταλεγεὶς ὁπλίτης οὔτ' ἐξῆλθε μεθ' ὑμῶν

στρατοπεδευόμενος οὔτε παρέσχε μετὰ τῶν ἄλλων ἑαυτὸν τάξαι, δειλίας δέ, ὅτι, δεῖν ἕκαστον μετὰ τῶν πολιτῶν κινδυνεύειν, ἱππεύειν εἵλετο.

Ibid. § 22.

Ἐγὼ τοίνυν ἀξιῶ, ἂν μὲν ἀποδείξωσιν οἱ λέγοντες καὶ αἰτούμενοι ὑπὲρ Ἀλκιβιάδου ὡς ἐστρατεύσατο ἐν τοῖς ὁπλίταις ἢ ὡς ἱππεύειν δεδοκιμασμένος, ἀποψηφίσασθαι.

Codex C post δεδοκιμασμένος copulam habet ἐστίν, Scaliger alio modo locum sanare cupiens legi voluit: ἢ ὡς ἱππεύει δεδοκιμασμένος. At ne hoc quidem apte dici intellegens Marklandus scribendum esse contendit: ἢ ὡς ἵππευε δεδοκιμασμένος. Mihi vero post ἱππεύειν, quod in codice Palatino est, a librario ἦν omissum esse videtur, quod perfacile excidere potuisse elucet.

Orat. XIX. § 22.

Ἀριστοφάνης δ᾽οὖν τῶν χρημάτων τὰ μὲν πλεῖστα αὐτὸς παρέσχεν· ἐπειδὴ δὲ οὐχ᾽ ἱκανὰ ἦν, τοὺς φίλους ἔπειθε δεόμενος καὶ ἐγγυώμενος, καὶ τοῦ ἀδελφοῦ τοῦ ὁμοπατρίου ἀποκειμένας παρ᾽ αὐτῷ τεσσαράκοντα μνᾶς εἰπὼν κατεχρήσατο.

Participium εἰπών, quod habet codex Palatinus, iure suspicionem virorum doctorum commovit. Atque Jacobsius scribi voluit πείθων, qua emendatione loci difficultas non conficitur, cum eandem atque εἰπών praebeat offensionem. Cobetus igitur ἔχων, Kayserus ἀπορῶν maluit. Rauchensteinius Kayseri coniecturam recepit, cum ei excusationis vis, quae huic verbo inesset, apta videretur. Scheibio[1]) vero scribendum videtur ἀπιών, quod accommodatum sit ad id quod sequitur: τῇ δὲ προτεραίᾳ ἢ ἀνήγετο.

At omnes hi viri docti coniecturam librarii codicis Laurentiani neglexerunt, qui quidem hoc loco recto ductus iudicio iustissimam, ut mihi quidem videtur, protulit emen-

1) cf. praef. edit. p. XLVI.

dationem λαβὼν κατεχρήσατο. Quae verba optime quadrant in ingenium Aristophanis, de quo in § 18 haec narrantur: Ἀριστοφάνης δὲ οὐ μόνον τῶν ἰδίων ἀλλὰ καὶ τῶν κοινῶν ἐβούλετο ἐπιμελεῖσθαι, καὶ εἴ τι ἦν αὐτῷ ἀργύριον, ἀνήλωσεν ἐπιθυμῶν τιμᾶσθαι. A nostro igitur loco excusatio prorsus aliena est. Accedit quod eadem verborum coniunctio in § 23 nobis occurrit, ubi leguntur: ὁ δὲ καὶ ταύτας λαβὼν κατεχρήσατο. Conferri potest etiam § 32, ubi haec invenies: πρὸς δὲ τούτοις καὶ πρότερον πρὸς τοὺς συνδίκους καὶ νῦν ἐθέλομεν πίστιν δοῦναι, ἥτις ἐστὶ μεγίστη τοῖς ἀνθρώποις, μὴ ἔχειν τῶν Ἀριστοφάνους χρημάτων, ὀφείλεσθαι δὲ τὴν προῖκα τῆς ἀδελφῆς καὶ ἑπτὰ μνᾶς, ἃς ᾤχετο λαβὼν παρὰ τοῦ πατρὸς τοῦ ἐμοῦ. Unum quidem obstare videtur emendationi librarii codicis Laurentiani nempe quod recedit a litterarum similitudine. At participium εἰπών, quod in codice Palatino est, ita comparatum mihi videtur, ut non dubitandum sit, quin librarius, cum in archetypo vox legi non posset, participium finxerit. Quare sola sententia nisi locum restituamus licet.

Ibid. § 28.

Ἴσως ἐνίοις ὑμῶν, ὦ ἄνδρες δικασταί, δοκεῖ ὀλίγα εἶναι. ἀλλ᾽ἐκεῖνο ἐπιθυμεῖσθε, ὅτι πρὶν νικοφήμῳ ἢ καὶ ἀριστοφάνει πρὶν τὴν ναυμαχίαν νικῆσαι γε μὴν οὐκ ἦν ἄλλει[1]) χωρίδιον μικρόν Ῥαμνοῦντι.

Verba πρὶν νικοφήμῳ ἢ καὶ ἀριστοφάνει cum explicari non possint, Scheibius omittit. Reiskius autem, quem Bekkerus et Rauchensteinius secuti sunt, scribi voluit: ὅτι Ἀριστοφάνει omissis verbis πρὶν Νικοφήμῳ ἢ καί.

Muellerus Scheibium sequitur, arbitrans verba ab illo remota supra οὐκ ἦν ἀλλ᾽ ἢ χωρίδιον μικρὸν Ῥαμνοῦντι explicandi causa cum fuissent adscripta alieno loco postea inserta esse. Quo argumento mihi non persuasit. Neque sto a Reiskii partibus in nomine Νικοφήμῳ offendentis. Quam-

---

[1]) Kayserus legerat ἀλλ᾽ ἤ.

vis enim ἀπογραφὴ χρημάτων Ἀριστοφάνους praecedat, tamen orator ostendens, Aristophanis bona haud maiora fuisse afferre poterat, etiam eius patrem divitiis haud abundasse, quod re vera etiam in § 42 profert, quodque eo magis oratori afferendum erat, cum ut ex § 11 cognoscimus, Nicophemus dives fuisse diceretur.

Tum etiam in § 7 haec nomina coniuncta leguntur. Quare verba tradita sic restituo: ἀλλ' ἐκεῖνο ἐνθυμεῖσθε, ὅτι Νικοφήμῳ καὶ Ἀριστοφάνει . . . Quod attinet ad illa verba πρὶν — ἤ, quae in codicibus sunt, mihi ad πρίν, quod ante τὴν ναυμαχίαν νικῆσαι legitur, interpretationis causa superscripta tum falso inserta esse videntur. In insequentibus Sauppius Bekkerum secutus subiectum desideravit infinitivi νικῆσαι atque Κόνωνα inserendum esse coniecit. Qua in re Rauchensteinius cum illis viris doctis iure conspiravit. Pro γε μήν Cobetus scripsit γῆ ἡμῖν, sed cum dativus iam praecedat, nullo pacto ferri potest emendatio. Rauchensteinius autem recte mihi videtur secutus esse Turicenses scribentes γῆ μέν. Frohbergerus autem mea quidem sententia iniuria maxime offendit in particula μέν, cui contrarium deesse putat, quare γε μήν ex γενομένην exortum putans scribi voluit: . . . νικῆσαι Κόνωνα τὴν περὶ Κνίδον γενομένην.

At me quidem iudice orator duplicem hoc loco instituit defensionem. Narrat enim, quomodo et pecuniae et supellectilis inopia sit intellegenda. Quare γῆ μὲν οὐκ ἦν ἀλλ' ἢ χ. μ. et quae sub finem § sequuntur ἔτι δὲ πρὸς τούτοις οἴεσθε χρῆναι ἔπιπλα πολλὰ καταλελοιπέναι inter se opposita esse mihi videntur. Exemplis vero a Rauchensteinio allatis ex Isocr. X. § 12: (ὁ νόμος) οὐκ ἐᾷ τῶν τῆς ἐπικλήρου κύριον εἶναι ἀλλ' ἢ τοὺς παῖδας, et ex Isocr. II. § 32: τὴν δὲ (δόξαν) οὐχ' οἷόν τε ἀλλ' ἢ τοὺς διενεγκόντας κτήσασθαι, quibus usus structurae οὐκ — ἀλλ' ἤ illustraretur, ex ipso Lysia addiderim or. IV. § 18: καὶ μὴ ζητεῖτε τούτων ἔτι μείζους πίστεις· οὐ γὰρ ἂν ἔχοιμι εἰπεῖν ἀλλ' ἢ ταύτας, ὡς οὐδὲν εἰς τοῦτον προὐνοήθην.

Totum locum igitur sic restituo: Ἀλλ' ἐκεῖνο ἐνθυμεῖσθε, ὅτι Νικοφήμῳ καὶ Ἀριστοφάνει πρὶν τὴν ναυμαχίαν νικῆσαι Κόνωνα, γῆ μὲν οὐκ ἦν ἀλλ' ἢ χωρίδιον μικρὸν Ῥαμνοῦντι.

Ibid. § 36.

Ἦν γὰρ Κόνωνι μὲν υἱὸς ἐν Κύπρῳ καὶ γυνή. Νικοφήμῳ δὲ γυνὴ καὶ θυγάτηρ, ἡγοῦντο δὲ καὶ τὰ ἐκεῖ ὅμως σφίσιν εἶναι ἴσα, ὥσπερ καὶ τὰ ἐνθάδε.

Pro ἴσα Sauppius scribi voluerat ἱκανά. At magis placebat viris doctis Cobeti coniectura: καὶ τὰ ἐκεῖ ὁμοίως σφίσιν εἶναι σᾶ, ὥσπερ καὶ τὰ ἐνθάδε. Neque iniuria, nisi dativus σφίσιν meliorem habeat locum lectione ita restituta: ἡγοῦντο δὲ καὶ τὰ ἐκεῖ ὁμοίως σφίσιν εἶναι οὐσίαν, ὥσπερ καὶ τὰ ἐνθάδε.

Ibid. § 62.

Σκοπεῖτε δὲ ἐκ τοῦ παρεληλυθότος χρόνου, ὅσα φαίνεται ἀνηλωμένα εἰς τὴν πόλιν· καὶ νῦν ἀπὸ τῶν ὑπολοίπων τριηραρχῶ μὲν ἐγώ, τριηραρχῶν δὲ ὁ πατὴρ ἀπέθανεν. πειράσομαι δ'ὥσπερ εἰ ἐκεῖνον ἑώρων, ὀλίγα κατὰ μικρὸν παρασκευάσασθαι εἰς τὰς κοινὰς ὠφελείας. ὥστε τῷ γ'ἔργῳ πάλαι ταῦτ' ἐστί, καὶ οὔτ' ἐγὼ ἀφῃρημένος ἀδικεῖσθαι οἰήσομαι, ὑμῖν δὲ πλείους οὕτως αἱ ὠφέλειαι ἢ εἰ δημεύσαιτε.

Pro εἰ, quod ante ἐκεῖνον traditur et a ceteris editoribus omittitur, Scheibius καί scribi vult.

Equidem facilius neque minus apte in ἀεί vocem istam mutari posse puto. Multo difficilius cognitu sunt verba: ὥστε τῷ γ' ἔργῳ πάλαι ταῦτ' ἐστί.

Reiskius quidem ante ταῦτ' pronomen ὑμέτερα inseri voluit.

Foertschius autem faciliorem emendationem quaerens proposuit ὥστε τῷ γ'ἔργῳ πόλει ταῦτ' ἐστί. Qua in coniectura articulus omissus minus quam dativus me offendit, in quo Dobreus quoque et Sauppius haesitaverunt. Dobreus igitur scribi voluit ὥστε τῷ γ'ἔργῳ πάλαι τῆς πόλεως ταῦτ' ἐστί.

Sauppius autem scriptum fuisse ὥστε τῷ γ'ἔργῳ τῆς πόλεως ταῦτ' ἔσται coniecit. Ego quoque ob sententiarum conexum tempus futurum hoc loco desidero atque ἔσται iustam puto emendationem. Ceterae vero coniecturae magis mihi videntur a tradita scriptura recedere, quam quae possint probari. Equidem sub πάλαι vocem πολλά latere existimo, ut haec verba respondeant antecedentibus: πειράσομαι . . . ὀλίγα κατὰ μικρὸν παρασκευάσασθαι. Deinde Sauppius iure lectionem traditam καὶ οὔτ' ἐγώ repudiavit, cum haec verba neque cum antecedentibus neque cum sequentibus verbis bene congruant. At quod ipse particula καί omissa proposuit οὐδ' ἐγώ, mihi non satis placet. Quod voluit, perfici potest, si scribimus: καὶ οὐκ ἐγὼ . ., qua emendatione facilius loci difficultas tollitur.

Orat. XXI. § 23.

Καὶ μὲν δή, ὦ ἄνδρες δικασταί, (ἐπιθυμῶ γὰρ καὶ τούτων μνησθῆναι) οὐδεπώποτε, λειτουργεῖν ὑπὲρ ὑμῶν δέον, εἰ τοσούτῳ πενεστέρους τοὺς παῖδας καταλείψω, ἀλλὰ πολὺ μᾶλλον εἰ μὴ προθύμως ποιήσω τὰ προσταχθέντα.

Hunc locum lacuna mutilatum librarius codicis Laurentiani sanare conatus est scribens: . . . δέον, ἐμνήσθην, εἰ . . Sed haec coniectura ne ad usum quidem linguae Graecae accommodata est.

Rectius Reiskius scribi voluit: . . . δέον, ἐνεθυμήθην, εἰ . . . At ne hoc quidem verbum cum altera sententia: εἰ μὴ προθύμως ποιήσω τὰ προσταχθέντα apte coniungitur, cum orator dixisse mihi videatur, se haud morantem nec damna reputantem officia erga rem publicam suscepisse. Eadem est causa, cur non possit Scheibii probari coniectura: . . . δέον, ἐνενόουν . . Rectam autem viam loci sanandi ingressus est Rauchensteinius, cum scriberet: . . δέον, δεινὸν ἡγούμην, εἰ . . At magis respecturus sum Lysiae dicendi rationem legens: . . . δέον, ἡγούμην δεινὸν εἶναι, εἰ . . . Nam etiam aliis locis verbum substantivum additum reperitur. Jam locum a me tractatum sequuntur sententiae loco nostro simillimae in § 24:

οὐδ' ἡγούμην δεινὸν εἶναι, εἰ τελευτήσας ὑπὲρ τῆς πατρίδος τὸν βίον ὀρφανοὺς καὶ πατρὸς ἀπεστερημένους αὐτοὺς καταλείψω, ἀλλὰ πολὺ μᾶλλον εἰ σωθεὶς αἰσχρῶς ὀνείδη καὶ ἐμαυτῷ καὶ ἐκείνοις περιάψω. Cf. III. 17., VII. 35., XXVI. 9., XXX. 32.

Orat. XXIV. § 2.

Εἰ μὲν γὰρ ἕνεκα χρημάτων συκοφαντεῖ, εἰ δ' ὡς ἐχθρὸν ἑαυτοῦ με τιμωρεῖται ψεύδεται.

Quam corruptam codicis Palatini scripturam ut corrigeret, Sauppius legendum esse coniecit: οὐ μὲν γὰρ ἕνεκα χρημάτων με συκοφαντεῖ, εἰ δ' ὡς ἐχθρὸν ἑαυτοῦ με τιμωρεῖται ψεύδεται. Neque dubito assentiri Scheibio in praef. ed. p. LVI. disserenti, hac coniectura omnem perire concentum.

Rauchensteinius quoque, qui coniecturam Sauppianam receperat, improbatam e verborum ordine removit. Atque Cobetus emendationem eruit, qua quidem aequabilitati a Lysia studiose observatae consulitur, lectio autem tradita ita mutatur, ut fere plane exterminetur. Scribi enim vult vir linguae Graecae sane peritissimus: οὐ μὲν γὰρ ἕνεκα χρημάτων συκοφαντεῖ, οὐδ' ὡς ἐχθρὸν ἑαυτοῦ με τιμωρεῖται. Cobetum secuti sunt Scheibius et Rauchensteinius, nisi quod hi viri docti in priore enuntiationis parte Sauppio auctore ante συκοφαντεῖ inseruerunt pronomen με, quod etiam codex C habet, ni fallor, ut concinnitatem conficerent. At quamvis Cobetus lectionem traditam perquam mutaverit, restat particula μέν, quae verborum responsioni repugnet. Quare et eam omitti voluit Frohbergerus. At ipsa codicis Palatini lectio indicare mihi videtur, qua ratione locus satis facile sanari possit. Eodem enim modo, quo una vox ante συκοφαντεῖ exciderit, duo verba arte inter se coniuncta a librario omitti potuisse mihi videntur. Quae cum ita sint, ante συκοφαντεῖ excidisse suspicor: μοι ἐπιβουλεύει aut similia, cum etiam in or. X. § 5 hic locus exstet: καὶ μὲν δὴ οὐκ ὀρθῶς τῶν χρημάτων ἕνεκα ἐπεβούλευσα ἂν αὐτῷ, quocum comparanda est or. XI. § 2. Ita si verba restituamus, et concinnitati

conveniunt et magnae in iis facetiae sunt, cum verba: εἰ μὲν γὰρ ἕνεκα χρημάτων μοι ἐπιβουλεύει, συκοφαντεῖ ab homine dicta, qui paulo post (§ 26) disserit: περὶ ὀβολοῦ μόνον ποιοῦμαι τοὺς λόγους, risum omnium senatorum commovere debuerint. At ne facetias restringat, orator non plura de hac re addit, cum alterum illud: εἰ δ'ὡς ἐχθρόν με τιμωρεῖται accuratius refutet. Locum igitur sic restituo: εἰ μὲν γὰρ ἕνεκα χρημάτων μοι ἐπιβουλεύει, συκοφαντεῖ, εἰ δ'ὡς ἐχθρὸν ἑαυτοῦ με τιμωρεῖται, ψεύδεται.

Ibid. § 10.

Ἐγὼ γάρ, ὦ βουλή, πάντας τοὺς ἔχοντάς τι δυστύχημα τοιοῦτο[1]) ζητεῖν καὶ τοῦτο φιλοσοφεῖν, ὅπως ὡς ἀλυπότατα μεταχειριοῦνται τὸ συμβεβηκὸς πάθος·

Quem locum ut sanaret, Scheibius scripsit: ἔγνων γάρ, ὦ βουλή, . . . Kayserus[2]) autem proposuit: εἰκὸς γάρ, ὦ βουλή, . . . quam coniecturam etiam Rauchensteinius amplexus est. Ad sententiam quidem utraque coniectura quadrat, sed Kayseri parum similitudinis cum tradita scriptura habet, ad quam propius accedit Scheibiana. Attamen emendationem non probaverim, cum haud sine consilio pronomen primo huius enuntiati loco positum videatur. Quod Sauppius quoque intellexerat, cum scriberet: ἐγὼ γὰρ ὁρῶ, ὦ βουλή, . . . At ne hanc quidem emendationem, quam nunc Rauchensteinius quoque Kayserum secutus reiecit, defenderim, cum iam librarius codicis Laurentiani lacunam ex Lysiae usu dicendi bene explevisse mihi videatur. Legimus enim in illo libro: ἐγὼ γάρ, ὦ βουλή, πάντας οἶμαι τοὺς . . .

Eadem plane ratione in § 15 legitur: ἐγὼ δ'ὑμᾶς, ὦ βουλή, σαφῶς οἶμαι δεῖν . . . cf. § 21., VII. 12., 40. Etiam in or. VII. § 36 et in or. XXII. § 11 οἴομαι, post allocutionem

[1]) cf. Lampros l. l. p. 271.
[2]) Ann. Heidelberg. 1854. p. 227.

orationi inseritur. Accedit quod nostro loco lacuna ibi, ubi auctorem codicis C eam invenisse puto, facile intellegitur, cum librarius verba sensu coniungenda facili errore etiam scriptura conectere posset.

Orat. XXV. § 2.

Εἰ μὲν οὖν οἴονται, ἃ ὑπὸ τῶν τριάκοντα γεγένηνται (γεγένηται correxit Dobreus, quem omnes secuti sunt editores; quo iure, accuratiore opus est quaestione) τῇ πόλει, ἐμοῦ κατηγορηκέναι, ἀδυνάτους αὐτοὺς ἡγοῦμαι λέγειν.

Hic locus saepe temptatus est, cum viri docti fortius additamentum ad vocem κατηγορηκέναι desiderarent. Atque Scheibius Marklandum secutus scripsit: εἰ μὲν οὖν οἴονται, ἃ ὑπὸ τῶν τριάκοντα γεγένηται τῇ πόλει, ὁμοῦ κατηγορηκέναι κ. τ. λ. Frohbergerus etiam vocem πάνθ' ante ὁμοῦ inseruit, eamque emendationem Rauchensteinius quoque in textum recepit. Franckenius autem pro κατηγορηκέναι scribi voluit πάντ' εἰρηκέναι. At quamvis locus habeat, quod offendat, tamen verba tradita turbata sunt. Nam in verbis ἐμοῦ κατηγορηκέναι viros doctos iure offendisse nego, cum haec verba fulciantur iis, quae sunt in § 5: μέγα μὲν οὖν ἡγοῦμαι τεκμήριον εἶναι, ὅτι εἴπερ ἐδύναντο οἱ κατήγοροι ἰδίᾳ με ἀδικοῦντα ἐξελέγξαι, οὐκ ἂν τὰ τῶν τριάκοντα ἁμαρτήματα ἐμοῦ κατηγόρουν κ. τ. λ. Attamen mihi quoque vox facinora triginta virorum omnia complectens deesse videtur, cum verba tradita languida esse unusquisque intellegat. Atque facillime mutaretur cum Herverdenio ἅ in ὅσα, sed fortius neque minus facile ante ἅ inseritur ἅπαντα, ita ut legatur: εἰ μὲν οὖν οἴονται ἅπαντα ἃ ὑπὸ τῶν τριάκοντα γεγένηται τῇ πόλει, ἐμοῦ κατηγορηκέναι κ. τ. λ.

Ibid. § 33.

Ὥστε τὸ αὐτὸ πάντες ἐμποδὼν εἰσιν, ἐάν τι δι' ἄλλων ἀγαθὸν ὑμῖν φαίνηται.

Hanc corruptam codicis Palatini scripturam Scheibius intactam in textum recepit, cum ei de certa emendatione non constaret. Nec temere, cum probabilitatis speciem vix ulla ex iis coniecturis, quae prolatae sunt, prae se ferat. Neque verbis traditis, neque sensui concinunt, quae a librario codicis C coniecta sunt: ὥστε δι' αὐτὸ πάντες . . . , cum causalem vim hoc loco iam in coniunctione ὥστε inesse appareat. Emperius igitur aliter loco mederi cupiens scribi voluit: ὥστε τὸ αὐτῶν πάντες . . . Multo aptiorem lectionem constituit Sauppius, qui cum ei vox excidisse videretur, scribendum esse censuit: ὥστε τοῦτο ὑποτοποῦντες πάντες κ. τ. λ.

Facilius eadem ratione Westermannus coniecisse mihi videtur: τοιοῦτοί γ'ὄντες. Attamen haec emendatio satis ingeniosa mihi non placet, cum coniunctio ὥστε eandem praebeat vim causalem. Kayseri coniectura ὥστε τοῦτο δείσαντες Scheibio quidem verisimillima videtur, ita tamen, ut scribatur: ὥστε τοῦτ' αὐτὸ δείσαντες, quod Rauchensteinius recepit. Verbo autem a Kaysero inserto novum argumentum non inducitur. Deinde cum ἐμποδών aliis quoque locis Lysiacis cum dativo coniungatur, mihi sub τὸ αὐτό dativus latere videtur, quod iam Baiterus voluit coniciens scriptum fuisse: ὥστε τῷ αὐτῷ πάντες . . . Eadem enim ratione ἐμποδών cum dativo coniunctum nobis occurrit in or. III. § 4: οἷς ἅπασιν ἐμποδὼν ἐμοὶ γεγένηται Σίμων οὑτοσί, deinde in or. VII. § 14: . . ὡς ἀμπέλοις ἐμποδὼν ἦν, et in or. VIII. § 19: τὸ μὲν οὖν ἐμὸν οὐκ ἐμποδὼν ὑμῖν ἔσται. Quamvis autem Baitero assentiar dativum desideranti, coniecturae eius non astipulor, cum facilior et aptior mihi videatur haec: ὥστε τούτῳ πάντες κ. τ. λ. At ne quis in pronomine totam sententiam vi quadam efferenti offendat, addam locum ex or. VI. § 41 desumptum: οὐ γὰρ τοῦτο λύειν ἐστὶ τὰ συγκείμενα, εἰ Ἀνδοκίδης ἕνεκα τῶν ἰδίων ἁμαρτημάτων δίδωσι δίκην, ... Huc pertinet etiam XVI. § 18: καίτοι χρὴ τοὺς φιλοτίμως καὶ κοσμίως πολιτευομένους ἐκ τῶν τοιούτων σκοπεῖν, ἀλλ' οὐκ εἴ τις τολμᾷ, διὰ τοῦτο μισεῖν. Cf. etiam XXVI. § 6., XXXI. § 3.

Orat. XXX. § 6.

Ὑμᾶς τοίνυν χρή, ὦ ἄνδρες δικασταί, ἀναμνησθέντας καὶ τῶν προγόνων τῶν Νικομάχου, οἵτινες ἦσαν, καὶ οὗτος ὡς ἀχαρίστως ὑμῖν προσενήνεκται παρανομήσας, κολάσαι αὐτόν, καὶ ἐπειδὴ ἑνὸς ἑκάστου δίκην οὐκ εἰλήφατε, νῦν ὑπὲρ ἁπάντων *αὖ τὴν τιμωρίαν ποιήσασθε.

Verba codicis Palatini magna difficultate laborare multae variaeque interpretum coniecturae satis indicant. Emendationes autem hoc loco prolatae lectionem traditam nimis neglegere mihi videntur, quam ut probari possint. De scriptura codicis Laurentiani: . . νῦν ὑπὲρ ἁπάντων τὴν τ. π, non est, cur verba faciam, cum appareat, scriptorem illius libri periculum evitasse. Marklandi vero lectio: . . . νῦν ὑπὲρ ἁπάντων ἀθρόων τ. τ. π. vix cuiquam probabitur. Neque editores Turicenses scripturam codicis X satis servaverunt, cum scriberent: . . . νῦν ὑπὲρ ἁπάντων γε αὐτῶν τ. τ. π. Atque iure iam Franzius eumque secutus Scheibius in particula γε offenderunt. Franzii autem coniecturae: νῦν ὑπὲρ ἁπάντων αὐτῶν τ. τ. π. id obstat, quod in codice Palatino syllabae αὖ littera praefixa est, quae utrum τ sit an γ Kayserus quidem dubitavit.

Neque Kayserus[1]) ipse hoc respexit. Nam locum nostrum maiore corruptela laborare existimans eum sanari voluit, cum scriberetur: νῦν ὑπὲρ ἁπάντων συλλήβδην τ. τ. π. Quod ut proponeret, or. XIII. § 62 ei persuasit, ubi haec exstant: εἰ μὲν οὐ πολλοὶ ἦσαν, καθ᾽ ἕκαστον ἂν περὶ αὐτῶν ἠκούετε, νῦν δὲ συλλήβδην περὶ πάντων. Neque Scheibii sententia, qua νῦν ὑπὲρ ἁπάντων ἐνταῦθα τ. τ. π. vel ἁπάντων ἐν ταὐτῷ τ. τ. π. scribendum est, scriptura codicis commendatur. Idemque dicendum est de P. R. Muelleri[2]) coniectura: . . . ἁπάντων ἅμα τ. τ. π. At maxime in his coniecturis offendo, quod aut litteram illam in codice Palatino syllabae αὖ praefixam

[1]) Ann. Heidelb. 1854. p. 232.

[2]) cf. De emendandis aliquot locis in orationibus Lysiae p, 7.

neglexerunt, aut nimiam esse corruptelam viri docti statuerunt. Quae cum ita sint, mihi quidem persuasum est, Lysiam scripsisse: νῦν ὑπὲρ ἁπάντων ταύτην τὴν τιμωρίαν ποιήσασθε. Est auten αὕτη ἡ τιμωρία poena, de qua nunc agitur. Quem sensum haec verba etiam in or. I §§ 30 et 47 praebent, Alteram autem ex iisdem syllabam a librariis omissam esse, permultis locis probatur.

Unum locum laudo, ut in libris Lysiacis quoque hanc corruptelam inesse ostendam. Legitur enim in orat. XVII. § 4: ἐξ αὐτῶν ἀπογράφω, quae verba certissima Reiskii coniectura: ἐξ αὐτῶν τῶν ἀπογραφῶν sanata sunt.

VITA.

Natus sum Leo Bartelt anno h. s. LVIII. die X. m. Junii in oppido superioris Silesiae, cui nomen est Zuelz, patre Ignatio, matre Maria Magdalena e gente Kerzel, quos adhuc superstites esse maxime gaudeo. Fidem profiteor catholicam. Postquam litterarum elementa didici, gymnasium Neostadiense adii. Maturitatis testimonium adeptus autumno a. h. s. LXXVIII. Universitatem litterarum Viadrinam adii studiis philologicis operam navaturus. Per octo semestria scholas frequentavi v. v. ill. Dilthey, Hertz, Neumann, Reifferscheid, Rossbach, Weinhold. Seminarii regii philologici sodalis fui per duo semestria extraordinarius, per tria semestria ordinarius. Praeceptoribus meis summas ago gratias eorumque memoriam pio gratoque animo semper servaturum me esse polliceor.

SENTENTIAE CONTROVERSAE.

I. Flor. epit. II. 31 legendum esse puto: »unde illi Gaetulici nomen laetius quam ipsa victoria«.

II. Lys. or. VII. § 7 sic mutaverim: »ἐπίστασθε δέ, ὦ βουλή, ὅσοι μάλιστα τῶν τοιούτων ἐπιμελεῖσθε, πολλὰ ἐν ἐκείνῳ τῷ χρόνῳ δασέα ὄντα ἰδίαις ἐλαίαις καὶ μορίαις,« . .

III. Lys. or. XXVI § 3 scribendum esse iudico: »καὶ νυνὶ αὐτὸν ἀκούω μὲν ὑπὲρ ὧν αὐτῶν κατηγοροῦμεν, διὰ βραχέων ἀπολογήσεσθαι.«

IV. Andoc. I. 12. articulum ante Πυθόνικος delendum esse contendo.